

Rome Represented: Personifications of the Eternal City in Later Latin Epic

1. Lucan *BC* i.185-203

ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
ingens visa duci patriae trepidantis imago
clara per obscuram voltu maestissima noctem
turrigero canos effundens vertice crines
caesarie lacera nudisque adstare lacertis
et gemitu permixta loqui: 'quo tenditis ultra?
quo fertis mea signa, viri? si iure venitis,
si cives, huc usque licet.' tum perculit horror
membra ducis, riguere comae gressumque coercens
languor in extrema tenuit vestigia ripa.

mox ait 'o magnae qui moenia prospicis urbis
Tarpeia de rupe Tonans Phrygiique penates
gentis Iuleae et rapti secreta Quirini
et residens celsa Latiaris Iuppiter Alba
Vestalesque foci summique o numinis instar
Roma, fave coeptis. non te furialibus armis
persequor: en, adsum victor terraque marique
Caesar, ubique tuus (liceat modo, nunc quoque) miles.
ille erit ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.'

2. Lucan *BC* ii.326-349

interea Phoebos gelidas pellente tenebras
pulsatae sonuere fores, quas sancta relicto
Hortensi maerens inrupit Marcia busto.
quondam virgo toris melioris iuncta mariti,
mox, ubi conubii pretium mercesque soluta est
tertia iam suboles, alios fecunda penates
inpletura datur geminas et sanguine matris
permixtura domos; sed, postquam condidit urna
supremos cineres, miserando concita voltu,
effusas laniata comas contusaque pectus
verberibus crebris cineresque ingesta sepulchri,
non aliter placitura viro, sic maesta profatur:

'dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
iussa, Cato, et geminos excepi feta maritos:
visceribus lassis partuque exhausta revertor
iam nulli tradenda viro. da foedera prisci
inlibata tori, da tantum nomen inane
conubii; liceat tumulo scripsisse "Catonis
Marcia", nec dubium longo quaeratur in aevo
mutarim primas expulsa an tradita taedas.
non me laetorum sociam rebusque secundis
accipis: in curas venio partemque laborum.
da mihi castra sequi: cur tuta in pace relinquar
et sit civili propior Cornelia bello?'

3. Lucan *BC* viii.132-133

'hic sacra domus carique penates,
hic mihi Roma fuit'

4. Sil. *Pun.* xv.28-31

alterius dispar habitus: frons hirta nec umquam
composita mutata coma, stans vultus, et ore
incessuque viro propior laetique pudoris
celsa umeros niveae fulgebat stamine pallae.

5. Sil. *Pun.* xv.69-72...89-104...107-120

tum Virtus "quasnam iuvenem florentibus" inquit
"pellicis in fraudes annis vitaeque tenebras,
cui ratio et magnae caelestia semina mentis
munere sunt concessa deum? ...

huc, age, paulum
aspice (nec longe repetam), modo Roma minanti
impar Fidenae contentaque crescere asylo
quo sese extulerit dextris; idem aspice, late
florentes quondam luxus quas verterit urbes.
quippe nec ira deum tantum nec tela nec hostes,
quantum sola nocens animis illapsa, Voluptas.
Ebrietas tibi foeda comes, tibi Luxus et atris
circa te semper volitans Infamia pennis;
**mecum Honor ac Laudes et laeto Gloria vultu
et Decus ac niveis Victoria concolor alis.**
me cinctus lauro producit ad astra Triumphus.
casta mihi domus et celso stant colle penates;

ardua saxoso perducit semita cliuo.
asper principio (neque enim mihi fallere mos est)
prosequitur labor. ...

omnia contra
experienda manent, quam spondet blanda Voluptas.
stramine proiectus duro patiere sub astris
insomnes noctes frigusque famemque domabis.
idem iustitiae cultor, quaecumque capesses,
testes factorum stare arbitrare divos.
tunc, quotiens patriae rerumque pericula poscent,
arma feres primus, primus te in moenia tolles
hostica nec ferro mentem vincere nec auro.
hinc tibi non Tyrio vitiatas murice vestes
nec donum deforme viro fragrantis amomi,
**sed dabo, qui vestrum saevo nunc Marte fatigat
imperium, superare manu laurumque superbam
in gremio Iovis excisis deponere Poenis."**

Rome Represented: Personifications of the Eternal City in Later Latin Epic

6. Claud. xv. 17-27

exitii iam Roma timens et fessa negatis
 frugibus ad rapidi limen tendebat Olympi
 non solito vultu nec qualis iura Britannis
 dividit aut trepidos summittit fascibus Indos.
 vox tenuis tardique gradus oculique iacentes;

7. Claud. i.136-163

tum regina refert: 'non me latet, inclute rector,
 quam tua pro Latio victricia castra laborent,
 nec quod servitium rursus furiaeque rebelles
 edomitae paribus sub te cecidere triumphis.
 sed, precor, hoc donum cum libetate recenti
 adicias, si vera manet reverentia nostri.
 sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
 pignora cara Probi, festa quos luce creatos
 ipsa meo fovi gremio. cunabula parvis
 ipsa dedi, cum matris onus Lucina beatum
 solveret et magnos profferrent sidera partus.
 his ego nec Decios pulchros fortesve Metellos
 praetulerim, non, qui Poenum domuere ferocem,
 Scipiadas Gallisque genus fatale Camillos

8. Claud. xxviii.360-383...392-400...407-425

...inpulit ipsa suis cunctantem Roma querellis:
 'dissimulata diu tristes in amore repulsas
 vestra parens, Auguste, queror. quonam usque tenebit
 praelatus mea vota Ligus, vetitumque propiqua
 luce frui, spatiis discernens gaudia parvis,
 torquebit Rubicon vicino numine Thybrim?
 nonne semel sprevisse satis, cum reddita bellis
 Africa venturi lusit spe principis urbem
 nec duras tantis precibus permovimus aures?
 ast ego frenabam geminos, quibus altior ires,
 electi candoris equos, et nominis arcum
 iam molita tui, per quem radiante decorus
 ingrediere toga, pugnae monumenta dicabam
 defensam titulo Libyam testata perenni.
 iamque parabantur pompae simulacra futurae,
 Tarpeio spectanda Iovi: caelata metallo
 classis ut auratum sulcaret remige fluctum,
 ut Massyla tuos anteirent oppida currus
 Palladiaque comas innexus harundine Triton
 edomitae veheretur aquis et in aere trementem
 succinctae famulum ferrent Atlanta cohortes,
 ipse Iugurthinam subiturus carcere poenam
 praerberet ferra colla iugo, vi captus et armis,
 non Bocchi Sullaeque dolis....
 his annis, qui lustra mihi bis dena recensent,
 nostra ter Augustos intra pomeria vidi,

interius fugere genae; ieiuna lacertos
 exedit macies. umeris vix sustinet aegris
 squalentem clipeum; laxata casside prodit
 canitiem plenamque trahit rubiginis hastam.
 attigit ut tandem caelum genibus Tonantis
 procubuit, tales orditur maesta querellas:

Pieriis pollent studiis multoque redundant
 eloquio; nec desidiis dapibusve paratis
 indulgere iuvat nec tanta licentia vitae
 arripit aut mores aetas lasciva relaxat:
 sed gravibus curis animum sortita senilem
 ignea longaevo frenatur corde iuventus.
 illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
 oramus praebere velis annique futurum
 devoveas venientis iter. non inproba posco,
 non insueta dabis: domus haec de more requirit.
 adnue: sic nobis Scythicus famuletur Araxes,
 sic Rhenus per utrumque latus, Medisque subactis
 nostra Semiramiae timeant insignia turre;
 sic fluat adtonitus Romana per oppida Ganges.'

temporibus variis; eadem sed causa tropaei,
 civilis dissensus, erat. venere superbi,
 scilicet ut Latio respersos sanguine currus
 aspicerem. quisquamne piae laetanda parenti
 natorum lamenta putet? favere tyrannis,
 sed nobis periere tamen. cum Gallica vulgo
 proelia iactaret, tacuit Pharsalia Caesar....

quem, precor, ad finem laribus seiuncta potestas
 exulat imperiumque suis a sedibus errat?
 cur mea quae cunctis tribuere Palatia nomen
 neclecto squalent senio, nec creditur orbis
 illinc posse regi? medium non deserit umquam
 caeli Phoebus iter, radiis tamen omnia lustrat.
 segnius an veteres Histrum Rhenumque tenebant,
 qui nostram coluere domum? leviusne timebant
 Tigris et Euphrates, cum foedera Medus et Indus
 hinc peteret pacemque mea speraret ab arce?
**hic illi mansere viri quos mutua virtus
 legit et in nomen Romanis rebus adoptans
 iudicio pulchram seriem, non sanguine duxit;**
 hic proles atavum deducens Aelia Nervam
 tranquillique Pii bellatoresque Severi.
 hunc civis dignare chorum conspectaque dudum
 ora refer, pompam recolens ut mente priorem,
 quem tenero patris comitem susceperat aevo,
 nunc duce cum socero iuvenem te Thybris adoret.'